

BALTHASAR A HELV CANCELLARIUS HERBI-
bipolensis.



BAlthasar ille in Alsatia anno circiter 1526 natus & educatus fuit. Is cum prima literarum funda mēta percepisset, sese ad Academias hinc inde contulit, & in primis Friburgi Brisgaudiae diligenter literis incubuit. Cum in ijs feliciter profecisset, animū ad Iurisprudentiam appulit, & in ea plurimū promouit, ita ut Legū Licentiatus constitutus fuerit. Accedebat huic eruditioni & uitæ integritas, atq; naturalis facundia, cum adiuncta prudentia. Id cum Episcopus Herbipolensis & Franconiae dux cognouisset, eum liberali stipendio ad se uocauit, et Cancellariū suum elegit. Fridericus enim princeps eos homines, qui eruditione & prudentia reliquos superant, amat, & singulari munificentia prosequitur. Id quod etiam in Antonio Hubnero, et Valentino Kraussio doctissimis Medicis manifestū est, quos subinde secum retinet, & liberaliter fouet. Itaq; Balthasarus eam functionem suscepit, & magna dexteritate peragit. Nam negotia sibi commissa fœliciter expedit, & ob multas uirtutes magnam sibi autoritatem apud Francones conciliauit. Is cum anno salutis nostræ 1565 Vuirtzburgi essem, me humaniter suscepit, & instituto meo intellecto, statim aditum ad principem preparauit. Ut ex eo intelligi posset, quo animo ipse erga literarum studia affectus sit, quō eas principi commendare, & promouere queat. Anon.